



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Variorum In Europa Itinerum Deliciae

Chyträus, Nathan

[Herborn], 1599

VD16 C 2803

Witebergae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70708)



W I T E B E R G A E.
I N T E M P L O A R C I S.

I N T A B U L A S U P R A L A M I N A M
æneam posita.

Continet hic tumulus Martini membra Lutheri.
Nosse sat hoc fuerat, sed tamen ista lege.

E P I T A P H I U M D. M A R T I N I L U T H E R I
juxta effigiem illius in lamina ænea.

Hic propè Martini rursus victura Lutheri
In parvo tumulo molliter ossa cubant.
Quæ prius horrendis errorum pressa tenebris
Atq; operum obscura nube sepulta fuit.
Hoc monstrante iterum patefacta est gratia Christi,
Quæq; Deo acceptos nos facit esse, fides.
Namq; superstitione cum regnum cæca teneret,
Et premeret longo dogmata vera situ;
Ille Dei afflatu monitus, verboq; vocatus,
Lucem Evangelii sparsit in orbe novam.
Instructusq; tuba Paulina & fulmine lingua,
Exploso cæpit vera docere dolo.
Utq; agnum in media Baptista ostendit Erema,
Qui pia pro populi victima labe foret:
Sic quoq; monstravit te maxime Christe Lutherus,
Cum totus tenebris obrutus orbis erat.
Et Legis tabula, quas in Sinæide Moses
Allisas fregit rupe, Prophetæ Dei,
Quid distent Evangelio, quod pectora sanet,
Conscia quæ culpa, terruit ira Dei.
Hoc prius amissum discrimen reddidit orbi,
Essent ut Christi munera nota magis.
Arguit Ausonii fraudes atq; impia regna
Pontificis, populo quæ nocuerunt Dei.

*Pollutasq; monens vitare idola per aras,
 Ad verum adduxit corda levata Deum.
 Magnanimusq; Deo cursum servante peregit,
 Insidias contra multiplucesq; minas.
 Tandem ex hac vita tranquilla morte vocatus,
 Ardua propitio venit ad astra Deo.
 Sentit ubi coram felicia gaudia Christo,
 Veraq; post obitum premia vivus habet.
 Grata Deo tanto sit pro Doctore futura
 Ætas, qua Christi dogmata vera sciet.
 Atq; oret precibus Deus hanc quam prabuit orbi
 Lucem Evangelii servet ut ipse sui.*

Decessit in patria sua Isleben,
 Anno á natali Christi M. D. XLVI.
 Die Februarii XVIII.
 Anno ætatis suæ LXIII.
 Academia Witeberg. ut filia patri dile-
 cto F. C.

IN LAPIDE.

MARTINI LUTHERI S. THEOLOGIÆ D.
 CORPUS H. L. S. E. QUI ANNO CHRISTI M. D.
 XLVI. XII. CAL. MARTII EYSLEBII IN PATRIA
 S. M. O. C. V. ANN. LXIII. M. III. D. X.

EPITAPHIUM PHILIPPI MELANTHONIS,
 é regione D. Lutheri, laminæ æneæ
 inscriptum.

*Vitam, fortunasq; suas, studiumq; laboris,
 Quiq; opera sanctam consiliq; fidem
 Impendit divina tuis, Ecclesia, rebus,
 Teq; pius varia juvit & auxit ope:
 Hac in parte sibi post mortem structa Melanthon
 Communi in luctu busta Philippus habet.
 Qua templi foribus magni vicina Lutheri
 E regione solum, quod tegit ossa, videt.
 Bretta hunc vitales natum produxit in oras,
 Bretta Palatini limes amœnus agri.*

Unde

Unde propinqua petens adiit bonitate suorum
 Diverso Aonidum templa sacrata loco.
 Ludus enim puerum accepit Phorcenidos urbis,
 Eytelbergiaci mox schola gymnasii.
 Doctrina hinc fecit juvenem alma Tubinga magistrū,
 Eximium laudis gessit ubi ille decus.
 Inde triumphator Monachorum Capnio jussit
 Albidos hunc ripam visere Saxonici.
 Tunc nova dux Fridericus ubi collegia Musis
 Romani fundans ensifer Imperii,
 Undiq; conductis praestanti laude parabat
 Artis & ingenii reddere clara viris.
 Hic socio ipso annis viginti octoq; Lutheri
 Wittenbergiacæ res fuit ampla schola.
 Quam septem bis adhuc provexit deinde gubernans
 Fluctivagam ut vastum per mare nauta ratem.
 Heu tempestates quas hic perpessus, & ad quam
 Savos hac scopulos acta carina fuit!
 Quantum externi odii, quantum invidiaq; suorum,
 Ingratorum hominum qua maledicta tulit!
 Ipse tamen, quam vis resstantibus undiq; ventis,
 Directum est, retinens vera, secutus iter.
 Fortia nec clamor latrantis pectora turba,
 Nec vulgus strepitu movit inane suo.
 Summa petit livor, nemo hunc superare nisi ipse
 Possit, si studiis ocia suppetere.
 Ista sub obliquo norunt quoq; sole locati,
 Quiq; sub opposito forsitan axe jacent.
 Scripta sed illius memorabilia inter & acta
 Plurima, que solida nomina laudis habent.
 Unum opus eximium est, Fidei confessio sancta
 Ante tuos Caesar Carole lecta pedes.
 Languida qua Christi jamdudum Ecclesia nitens
 Rursum oculos audet tollere lata suos.
 Concurrant inimici omnes licet undiq; hic unus
 Confutare potest improba dicta liber.
 Ac tua nunc terris floret bona fama Philippe,
 Vivit & aeternum spiritus ante Deum.
 Corpus at exanimatum tumulo hoc requiescit humatum,
 Condecorant grata quem monumenta scholæ

*Ille quod expletis, senio curisq; gravatum,
 Sexaginta annis, exiit atq; tribus.
 Sic, morbo ut paucis nisi debilitante diebus,
 Muneris officium fecerit omne sui.
 Atq; olim atherias veniet revocatus in auras
 Integer, & mortis liber ab inde metu.
 Sancte vir, & salve pater optime, Te tua semper
 Nos soboles merita religione colet.
 Doctrina nobis vera tu doctor & autor
 Hac, tua, clare atas munera laudis habet.
 Salve iterum atq; iterum. Tua nos immota manebit
 Semper apud memores gloria, nomen, honos.*

Acad. Witeberg. Phil. Mel. parenti &
 præcept. optimè merito posuit Jo-
 ach. Camer. S. S. M. F.

Natus est D. Philippus
 Melanthon anno Chr. M.
 CCCC. XC VII. mensis Febr.
 die XVI. post VI. horam ve-
 spertinam in oppido Pala-
 tinatus Bretta.

Mortuus est D. Philip-
 pus Melanthon anno Chri-
 sti M. D. LX. mensis Aprilis
 die XIX. doctate horæ post
 VI. vespertinam, Witeber-
 gæ.

IN LAPIDE SEPULCRI.

PHILIPPI MELANTHONIS S. V. CORPUS H.
 L. S. E. QUI AN. CHRISTI M. D. LX. XIII. CAL.
 MAII. IN HAC URBE M. O. C. V. ANN. LXIII.
 M. II. D. II.

IBIDEM.

Philippo Melanthoni, sacrarum literarum solertiss. &
 fideliss. explicatori, veritatis cælestis patrono & propu-
 gnatori imprimis stre nuo. opt. disciplinarum & artium
 cum instauratori tum conservatori: qui omnem doctri-
 nam, quasi vagam ac dissipatam collegit & ad certam ra-
 tionem revocavit: viro pietate, studio puræ castæque reli-
 gionis, sapientia, virtute, humanitate, benignitate erga
 omnes præstanti, feliciter & sanctè in terris mortuo. XIII.
 CAL. MAII. C. V. AN. LXIII. M. II. D. II. H. I. Acad.
 Witeberg.

Witeberg. cui ille totis ann. XLII. operam navasset, H.
M.P.C.

A L I U D.

Annæ Joachimi Camer. Papeberg. F. fæminæ spect. pi-
et. & diligentia; ingenio præstanti, & omni matronali
laude atq; virtute muliebri ornata, quæ anno E.M. 1111
anté filiolo elato. Et D. XI. filia una, filiola & viro super-
stitt. postquam acerr. morborum cruciatus animo con-
stante pertulerat, perseverans in precibus ardentiss. & re-
ligiosiss. invocatione filii Dei, seq; ipsam & alios confir-
mans, salutaribus verbis ita felici fine clausit vitam in ter-
ris, anno ætat. xxx. conjugii x. Christi Jesu M. D. LVIII.
xvi. Cl. v. i. i. br. in hac urbe Witeberg. quó venerat cum
marito Esromo Rudingero Papeberg. accersito ad doctri-
nam Acad. publ. cui hic uxori cariss. deq; S. O. M. extra hoc
templum sepultæ, in luctu ac mœrore gratus & memor,
H.M.P.C.

Beati Q. I. D. M.

IN ÆDIBUS GEORGII CRACOVII.

*Vita quid est hominum, nisi spes incerta, metusq;?
Hac inter dubii vivimus & morimur.*

IN MONASTERIO AD PORTAM ELISTRINAM,
supra Principum Electorum Saxonie imagines.

ACADEMIAM WITEBERGENSEM

Fridericus III. Dei beniguitate Dux Saxon. sacri Romani Imperii Elect. & Archimar- schallus, Landgra- vius Turingiæ & Marchio Misniæ INCOAVIT.	Johannes Dei benignit. Dux Saxon. sac. Im- per. Elect. & Ar- chimar. Land- Turin. & Mar- chio Misniæ CONSER- VAVIT.	Johannes Fride- ricus Dei benigni- tate Dux Saxo. sac. Rom. Imp. Elect. & Archim. Land- gr. Tur. & Marchio Misniæ & Burggr. Magdeburgensis FUNDAVIT.
------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------	---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------	------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------

ACADEMIAM WITEBERGENSEM

Mauritius Dei benignitate Dux Saxon. sac. Rom. Imp. Elect. & Archimarsch. Landgravius Turingiæ, Marchio Misniæ, & Burggravius Magdeburgensis, BELLO DISSIPATAM INSTAURAVIT.

Augustus Dei benignitate Dux Saxo. sac. Roman. Imp. Elect. & Archim. Lädgr. Turin. Marchio Misniæ & Burggr. Magdeburgensis EXORNAVIT, AMPLIFICAVIT & CONFIRMAVIT.

I B I D E M.

Super effigiem Dn. Lutheri.

Reverendus vir Doctor Mart. Luth. Dei benignitate dux & author repurgationis doctrinæ Evangelicæ à cœno & fermento Ecclesiæ Romanæ.

Super effig. Phil. Mel.

Reverendus vir Dn. Phil. Mel. Dei benignitate sub duce Luthero vindex & defensor veritatis Evangelicæ, & purioris Philosophiæ instaurator.

EPITAPHIUM DN. GREGORII BARONIS à Lamberg.

*Dum te Christe sequor, cupiens tua dogmata rectè
Discere, & è puris fontibus illa peto:
Tu quoq; me sequeris, medioq; in flore juventæ
Abripis, ut doceas in meliore schola.
Ergo lubens moriar fiat tua sancta voluntas.
Sim semper tecum perpetuoq; tuus.
Vitus Winsheim senior F.*

IN MURO EXTERIORI TEM-
pli Parochialis.

Anno 1558. die 8. Maji, Georgius, & sequenti anno eodem die Christophorus F r s, filii reverendi viri D. Georgii Majoris, Theol. Doct. ex hac mortali vita evocati, his duobus cubiculis conclusi, expectant redemptorem
refulci-

resuscitaturum mortuos in Domino, ad æternam vitam
& lætitiã.



LIPSICA.

IN LIPSIAM JUL. CÆS.

SCALIGER.

Lipsia, se ostentans sublimibus aurea tectis,
Lumina dum saturat, mens perit icta fame.
Vecta quibus ratibus longinqua marmora terra?
Unde frequens flarvi pura nitela Tagi?
Huc Cyprum, huc Temesum, huc Arabas, huc Serica dicei
Sedibus evulsa huc Indica regna suis.
Cum gemma bibitur, vincuntur neclare gemma:
Sed lingua varius vincit utrunq, nitor.
Nec Germana tamen vitiatur Lipsia luxu:
Ast hunc Germanum Lipsia magna facit.

INSCRIPTIONES.

IN CURIA

Supra januam Synedrii.

Erstlich/wenn ihr zu rath seht geseffen/
Sollet ihr Gottes vnd ewers ands nicht vergessen.
Zum andern/keiner sachen nicht vorwagen/
Vor allen dingen von gemeinem nutz rathschlagen.
Zum dritten/den armen halten als den reichen/
So wird Gottes gnad nicht von euch weichen.
Zum vierten/die bösen ohn alle gnad strafen lan/
So wird ewer Regiment in allem guten bestan.
Werd ihr aber das verachten vnd trencken/
So wird euch Gott in das hellisch fewr versencken.

IBIDEM.

Perditus est cupidé qui turpia scœnora captat,
Fraude suam parto ditet ut are domum.

Aa ij